

89 Attendenda tamen semper est consuetudo Regionum, & habitatorum, ut vota juxta ipsam censentur emissa, atque sint adimplenda: Communis, per textum in cit. cap. Ex parte 18. de censib. cit. l. Nummis 75. de Legatis 111. cit. l. Semper in stipulationib. 34. ff. de Reg. Jur. ibi: Si non appareat quid actum est, erit con- sequens, ut id sequatur, quod in Regione, in qua actum est, frequentatur. (Lit. A., pag. 249. n. 27. & lit. B., pag. 375. n. 57. cum verb. Poena, n. 47. etiamque antea verb. Filius, n. 13. in fm. Moribundusque n. 35. lex 5. vers. Ca debemur: tit. 33. p. 7.)

90 Unde qui vovit Ecclesie calicem, in dubio inter- pretatur obligari dari calicem argenteum, & non au- reum, nec cupreum, vel stanneum, arg. cap. Calix dist. 1. de consec. l. Titia 38. §. 2. ff. de auro, argen- to, ornamentis vel vestimentis & status legatis. Nisi alicubi præ magna opulencia, & auri abundantia vi- geat consuetudo, ut non nisi aurei calices communiter offerantur, seu præ magna penuria, seu paupertate vigeat praxis, ut non nisi calices cuprei, seu stannei adhibeantur. Qui vovit jejunare quotidie per mensem, non tenetur jejunare diebus Dominicis, cum sic ser- vet communis praxis Ecclesie; sicuti etiam ex tali praxi qui vovit jejunare in Vigilia alicujus Sancti, po- test jejunare die Sabbati, si vigilia incidat in diem Dominicam. Item qui vovit absolute jejunium, Missæ auditionem, Confessionem Sacramentalem &c. debet illa exequi eo modo, forma, & integritate, qua eadem exequuntur fideles, ubi occurrit Ecclesie præceptum. Item qui vovit audire Sacrum in die v. gr. Nativitatis, seu Assumptionis B. M. V. tenetur audire duas Missas, qui vero vovit Missam audire quotidie, non tenetur audire, nisi unam, diebus festis, & Dominicis, quia sic ordinarie præficatur ab omnibus, & intentio sic vovendum solum fuisse censetur nullum diem transire sine Missa. Item licet qui vovit Castitatem, dubitat vero an in, vel extra Religionem, an perpetuam, vel temporalem tantum possit eligere temporalem, vel seculari extra Religionem; si tamen absolute dicat: Voveo Castitatem, intelligi debet de Castitate perpe- tua, & sic de similibus, ut notant Doctores commu- niter.

91 Qui post adhibitam moralem diligentiam adhuc ab- solute dubitat, an emiserit verum votum, an vero sim- plex solum propositum conceperit, non obligatur voto, cum in tali casu præsumendum sit fuisse solum sim- plex propositum: Sic ex communi Sporer loc. cit. n. 15. arg. l. Semper 56. ff. de Reg. Jur. ibi: Semper in du- bitis benigniora preferenda sunt, l. Ea que 192. ff. eod. ibi: In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam ruitus, l. Si fuerit 60. ff. de rebus dubiis, ibi: In ambiguis rebus humaniorem sententiam se- qui oportet. Tum quia melior est conditio ipsius dubitan- tis possidentis suam libertatem, cum in pari causa me- lior sit conditio possidentis, textu expresso cap. In pra- xi 65. de Reg. Jur. l. In pari causa 128. ff. de Reg. Jur. & concordant cap. Ad aures 6. de Prescription. cap. Quod autem 5. de Jurepatr. l. Nemo 125. §. 2. ff. de Regul. Jur. cum similibus. (Vide proxime, & lit. C., pag. 306. in notis. post n. 137.)

92 Qui autem certus est se emisisse votum, aut deli- berate profulisse verba verum votum, seu veram pro- missionem significantia, v. gr. Promitto Deo, & B. M. Virgini servare Castitatem, & adhibita morali diligen- tia, dubitat, an habuerit intentionem, seu voluntatem sufficientem se obligandi, obligatur voto: Tunc enim melior est conditio voti possidentis suam vim obligan- di per Jura n. antedicta allegata, quia cum quis deli- berate profert verba significantia votum, seu veram promissionem, semper præsumitur habere voluntatem promittendi, & se obligandi, nisi aliunde constet de opposito, cum nemo censetur dicere quod non habet in mente; l. Labeo 7. §. 2. ff. de supellethili legata, ibi: Nemo existimandus est dixisse, quod non mentem agi- taverit; (Lit. B., pag. 335. num. 29. cum leg. 18. §. 3. tit. 9. p. 6.) Sanchez lib. 1. de Matrimon. disp. 9. a. nu- mer. 13. & lib. 4. moral. cap. 1. num. 13. cum pluribus

ibi citatis, Sannig. dist. 4. de Relig. quest. 2. num. 6. Sporer loc. cit. n. 16. Reiffenstuel theolog. moral. tract. 6. dist. 3. q. 2. n. 17. La Croix lib. 3. part. 1. n. 381. cum Gobat Oried. ibi citatis, & alii.

Cum quis dubitat, an quando vovit, habuerit ple- num usum rationis, si vovit ante septennium, præsumendum est non habuisse dictum plenum rationis usum, sicque voto non obligari, nisi in aliquo certe constaret malitiam, seu cognitionem prævenisse, seu supplevisse ætatem, quia in tali non præsumitur ordinariæ usus ra- tionis, & possessio stat pro libertate: Si autem vovit post septennium, præsumendum est habuisse plenum usum rationis, sicque voto obligari, cum in tali præsumatur ordinariæ dictus plenus usus rationis, nisi in ali- quo certe constet de opposito: Communis.

Si vero dubitet an ante, vel post septennium, seu 94 ante, vel post sufficientem usum rationis, & delibera- tionis voverit? Tunc probabilius præsumendum est vo- visse post septennium, seu post sufficientem usum ra- tionis, sicque voto teneri. Et ratio est, quia tunc de voto constat, & executio est dubia: In cap. autem. Si quis de panit. dist. 7. expresse dicitur: Tene certum, dimitte incertum, & concordat cap. Juvenis 3. de Spon- salsibus, & cap. Ad audientiam 12. de homicidiis. Tum quia ante septennium, seu ante sufficientem usum ra- tionis, & deliberationis rarissime emittuntur vota, seu juramenta, adeoque in tali dubio ex communiter con- tingentibus præsumendum est in favorem voti, nempe esse emissum post septennium, seu sufficientem usum rationis, & ideo esse validum, & obligatorium; Sanchez lib. 1. Moral. cap. 1. num. 14. Henno tom. 1. in De- cal. disp. 2. quest. 3. de voto art. 1. vers. Dixi tertio; resolut. 1. Diana part. 4. tract. 3. resol. 10. cum aliis ibi citatis; Sporer loc. cit. n. 24. testans hanc esse omnino probabilem, quamvis ipse cum Castropalao, & Tambur. tenent probabiliter oppositum, quod non improbabilem putat La Croix loc. cit. n. 387. cum dicto Castropalao, & Oriedo.

Qui dubitat, an voverit cum sufficienti deliberatio- 95 ne, eo quod votum emiserit tempore subitæ passionis, iræ, terroris, ebrietatis, phrænensis, amentie, semidor- mitionis &c. præsumendus est probabilis vovisse cum deliberatione sufficienti, adeoque obligari voto, nisi tales conjecturæ occurrant in contrarium, ut prudenter credat non satis considerasse necessaria ad obligatio- nem contrahendam; Sanchez lib. 4. cit. Gobat. tam. 3. caus. 6. num. 170. Suarez lib. 4. de voto cap. 5. Oriedo. p. 2. tom. 5. contro. num. 172. Sporer loc. cit. sub n. 24. La Croix loc. cit. num. 388. & alii. Et ratio est, quia etiam hic constat de voto, & dubitatur de executione, tum quia qualitas, quæ naturaliter inest, semper in- esse supponitur, nisi clare constet de opposito; atqui usus rationis naturaliter inest homini, ergo in suis actionibus semper inesse præsumi debet, nisi aliunde certo constet de opposito. Contraria tamen opinio non improbabiler defenditur à Castropalao tom. 1. tract. 1. d. 3. q. 11. cum aliis ibi citatis, & probabilem censet etiam Sporer loc. cit.

Votum emissum ex metu, sive ab intrinseco, ut 96 in periculo mortis ex infirmitate, naufragio, peste, &c. sive ab extrinseco incusso ab homine, ut ab hoste, la- rone, & hujusmodi; dummodo rationem non pertur- bet, & non sit talis metus ab extrinseco incussus ad ip- sum votum injuste extorquendum, censendum est vali- dum, ac obligatorium: Communis. Et ratio est, quia tale votum est adhuc implicite voluntarium, & delibe- ratum; votum autem voluntarium, & deliberatum sine dubio est validum.

Votum autem emissum ex metu injuste incusso ad 97 ipsum votum extorquendum, est censendum omnino in- validum, & non obligatorium, non solum de Jure po- sitivo canonico, ut patet expresse in cap. Periculum 1. & alii seq. De his, que v. metu causa sunt, sed etiam de Jure naturali, quia, ut ait S. Bonaventura in 3. dist. 39. art. 3. q. 2. Deus vult Sacrificia voluntaria, non coacta: Deus enim tale votum non acceptat, ne det vim injuste coactioni: Communis.

Nul-

98 Nullum, & irritum est votum emissum ex ignorantia, & errore, si fuerit circa substantiam rei promis- sæ, ut si quis voveat se ingressurum certum Monas- terium putans esse S. P. Francis, cum sit S. P. Do- minici; voveat dare Ecclesie certum aliquem suum calicem putans esse argenteum, cum sit aureus, & hujusmodi: Item si fuerit circa conditionem substan- tialem, ut si quis voveat peregrinationem Lauretanam errore putans distare solum 40. miliaribus, cum ta- men distet biscentum; si voveat peregrinationem in Terram Sanctam, putans posse fieri itinere pedestri per terram, cum tamen Mare sit transfretandum, & hujusmodi. Item si fuerit circa causam finalem, seu motivum formale vovendi, ut si quis voveat eleemo- synam dare peste laborantibus in hac civitate, cum tamen hic nullus peste laboret, si voveat alere hunc pauperem erronee putans esse suum consanguineum, cum tamen non sit &c. in quibus deficit finis principa- lis à vovente intentus; Sic in re Communis DD. Et ratio nullitatis talium votorum est, quia incogniti nulla est voluntas, cum voluntas non feratur in incognitum; ex Arist. 3. de Anima Commentar. 39. & ignorantis, ac errantis nullus sit consensus; l. Non idcirco 9. Cod. de Jur. & facti ignorant. nihilque sit tam contrarium consensui, quam error; l. Si per errorem 15. ff. de Ju- risdic. omnium Judic. (Vid. verb. Ignorantia)

99 Qui vovit certum, & determinatum rem, v. g. hunc equum, si talis de.ermineatus equus sine culpa voventis pereat, non tenetur ad alium equum, seu aliam rem, quia id non solet intendi, & talis res facta est impossibilis. Impossibilem autem nulla est obligatio; l. Impossibilem 185. ff. de Reg. Jur. & cap. Nemo potest 6. de Reg. Jur. in 6. (Vid. sup. num. 89.) Si au- tem talem rem venderit, tenetur dare pretium recep- tum, quia eadem res manet virtualiter, & qui vovet rem, censetur promittere omnem ejus utilitatem; Con- munis.

100 Qui scit se vovisse jejunium, v. g. pro die Mer- curii, & dubitet, an habuerit intentionem supplendi alia die, si ista negligeret, non tenetur supplere alia die, quia in dubiis quod minimum est, eligi debet; l. Nummis 75. ff. de Legatis 111. l. Semper in stipulatio- nibus 34. ff. de Reg. Jur. cap. Ex parte 18. de Censibus, juncta Glossa communiter recepta ibid. verb. Primo casu: (Sup. num. 89.)

101 Qui scit se votum emisisse, & dubitat, an imple- verit, tenetur adimplere, quia obligationi certe non satisfit per solutionem dubiam; Tum quia votum possi- det, & melior est conditio possidentis, cap. An aures 6. de Prescriptionibus, cap. Quod autem 5. de Jurepatr. cap. In pari 65. de Reg. Jur. in 6. l. Nemo 126. ff. de Reg. Jur. l. In pari causa 128. ff. eodem; Et sic Doctores communiter.

102 Qui vovit absolute non ludere, nihil cogitando, an de lusu tantum immoderato, & periculoso intelligen- ret, an etiam de moderato, non tenetur abstinere à lusu moderato, quia voluntas in dubio interpretari de- bet in favore voventis, arg. l. Semper in dubiis 56. ff. de Reg. Jur. l. Ea que 192. ff. eod. l. Si fueris 10. ff. de rebus dubiis, & dubitans an plus, vel minus, tenetur tantum ad minus; cap. Ex parte 18. de Censibus, juncta Glossa communiter recepta ibid. verb. Primo ca- su: l. Nummis 75. ff. de Legatis 111. l. Semper in Stipulationibus 34. ff. de Reg. Jur. (Sup. n. 91.)

103 Qui vovit absolute non ludere intelligendo etiam lusum moderatum, tenetur abstinere etiam ab isto. Obligatio enim voti potissimum pendet ab intentione voventis, intentio fuit de se abstinendo etiam à ludo moderato, debet etiam ab isto omnino se abstinere; S. Thomas 2. 2. quest. 168. art. 2. Tamburin lib. 3. cap. 3. §. 5. num. 58. Castrop. tract. 14. art. 2. p. 7. §. 1. n. 3. La Croix lib. 3. part. 1. num. 453. cum Sanchez, & Bo- nacina ibi citatis, & alii passim.

104 Qui vovit non ludere, intendens redimere jacturam temporis, tenetur abstinere etiam à lusu moderato, & etiam à lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jacturam, & amittitur tempus; Tamburin. loc. cit. d. num. 59. La Ferrar. Biblioth. Tom. IX.

Croix loc. cit. num. 454. Castropal. loc. cit. addentes, quod sic vovens posset per alium ludere, licet respi- ciendo perderet tempus, quia tempus non perderet lu- dendo, ut fuit ejus votum, arg. citatis Juribus supra num. 102.

Hanc propositionem ita P. Daniel Concina pers- tringit tom. 3. prima edit. pag. 171. Falsum est insu- per, quod inquit La Croix, voventem non ludere, dum per alium ludit. Quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Nec minus falsum est quod postea subdunt, nempe dum vovisti non ludere, ne tempus teras, te posse per alium ludere, licet aspiciendo tempus teras. Audisti? Licet tempus perdas ludendo aliena manu, votum non frangisti; si autem propria manu ludo, votum frangisti, Peracusa & mirifica Theologia manifestam laxitatem non vales longius improbare, Ita Concina; nec à vero alienam doctrinam tradit, ut consideranti facile pate- bit.

Quæ hic notatur à Romano Theologo, non est mea opinio, sed Doctorem ibi ad eruditionem alla- torum ut legenti patet. Propriam autem meam opi- nionem demonstrat expresse mea conclusio, nempe: Qui vovit non ludere, intendens redimere jacturam tem- poris, tenetur abstinere etiam à lusu moderato, & etiam à lusu pro alio, quia etiam in tali ludo jacturam & amitti- tur tempus.

Qui vovit non ludere ad evitandas rixas, & blas- 105 phemias, tenetur abstinere ab illis ludis, in quibus ex experientia subest sibi periculum rixandi, aut blasphemandi, uti ordinariè accidit in ludis nomine proprio & cum jactura propria pecunie fieri solitis; Quia vero id non solet accidere in ludis, qui fiunt nomine alieno, aut per alium, hinc poterit talis vovens licite ludere nomine alieno, aut per alium: Immo ei licet ludere per alium, etiamsi dicta incommoda timeantur, quia re ipsa in tali casu ipse non ludit. Et sic etiam licet ibi facere sponiones de hoc, vel illo lucrato, cum id non sit proprie ludere; Sanchez lib. 3. cap. 18. n. 8. Diana part. 7. tract. 9. resolut. 58. Bonacin. de Juram. quest. 1. punct. 16. num. 5. La Croix loc. cit. num. 453. & alii.

Qui vovit non ludere, ut vitet jacturam suæ pecunie, 106 interpretandus est, quod exclusit solum lusum im- moderatum, & eum, quod luderet pro se. Unde hic poterit ludere moderate pro se, & per se ob animi re- creationem, & pro alio, seu loco alterius, etiamsi sub- sit periculum jacturæ pecunie alterius, quia ludendo moderate, aut pro alio, non incurrit illud periculum jacturæ, & perendi suam pecuniam, qui fuit unicuique finis sui voti. Immo poterit etiam ludere per alium, tradita ei pecunia, ut nomine sui, nedum absentis, sed & præsentis, videntis, & lætantis ludat, quia licet in hoc casu inventiatur finis, ob quem vovit, nempe ut vitet jacturam suæ pecunie, tamen res proprie non comprehenditur sub materia promissa, cum vere, & proprie non ludat is, pro quo alius ludit: Vota enim in dubio interpretanda sunt in favore voventis, & in mitiorem partem, per Jura adducta supra num. 102. Sic tenet Sanchez loc. cit. num. 7. Diana loc. cit. re- solut. 57. Bonac. loc. cit. num. 5. Castropal. num. 5. La Croix loc. cit. num. 454. Gobat tom. 3. casu 17. n. 526. & alii.

Atque hinc vide, num consistere possint, quæ numeris 105. & 106. exponuntur; Nam si per seipsum ludere censetur, qui per alium ludit, ergo qui voverit non ludere, sive ob evitandas rixas, & blasphemias, sive ne pecunie jacturam patiatur, sive ob alium finem, à ludo abstinere debet etiam aliena manu faciendo. Verbo dicam: Si generatim homo voverit se non amplius lusurum, vi voti ab omni sive moderato, sive im- moderato ludo abstinere debet, nec per se, nec per alium ludere licite poterit, nisi emitendo votum secum ipse declaraverit, vovere tantum voluisse abstinere à ludo immoderato, vel à ludo per seipsum faciendo. Nam si vovendo nil ipse distinxit, sed generatim promisit, nec disquirere nos debemus, sed integram in ipso à ludo abstinentiam agnoscere, & profiteri tenebimus. †

Ha Pro

Pro assequenda mea vera opinione recurrendum est ad Summarium hujus articuli sub citatis numeris, nempe sub num. 105. Qui vovit non ludere ad evitandas rixas & blasphemias, tenetur abstinere ab illis, cum quibus ex experientia subest sibi periculum risandi: & sub num. 106. Qui vovit non ludere ut vitet jacturam suae pecunie, interpretandus est, quod excludit solum lusum immoderatum, & eum, quo luderet pro se. Nam cetera in corpore ibi addita sunt potius ex opinione Doctorum & Auctorum qui identidem allegantur. Sed in Romana editione Summaria omnia, in quibus vel unico obrutu mens mea patet, subtracta sunt.

107 Quale autem peccatum sit, mortale, an veniale, ludere post votum non ludendi? Colligi potest universaliter loquendo ex consideratione finis, ob quem emissum fuit votum: Unde qui vovit non ludere ad evitandam jacturam propriae pecunie, non peccat graviter, nisi notabilem summam exponat periculo jacturae; & si pro alio ludat, nec venialiter peccat, etiamsi multum perdat, quia finis sui voti fuit ad evitandam jacturam pecunie propriae, & non alienae. Item qui vovit non ludere, ut redimat tempus, si non consumat in ludo tempus v. g. plusquam duas horas, non erit grave peccatum. Item qui vovit non ludere, ut evitet rixas, non peccat graviter, si ludat cum aliquo notorie pacifico, & sic de similibus; Ita Sanchez loc. cit. num. 7. Tamburini loc. cit. num. 60. Gobat loc. cit. num. 526. La Croix loc. cit. num. 454. Fagundes, Castropal.

108 Qui vovit non ludere certo genere ludi, certo tempore, in certo loco, cum certa persona, quia credebatur certo se esse amissurum in tali ludo, tali tempore, tali loco, cum tali persona &c. non tenetur servare illud votum, quia cum id sit superstitiosum, non potest esse materia voti, quae voti materia debet esse res moraliter bona ex dictis supra num. 23. Et si fortiori non tenetur servare votum factum de non ludendo cum certa persona in vindictam, vel signum malae voluntatis, cum votum non debeat esse vinculum iniquitatis, arg. cap. Quanto 18. de Jurisjurando, cap. Inter cetera 22. caus. 22. quest. 4. (Vid. leg. 1. tit. 8. p. 1.) Sanchez loc. cit. num. 9. Bonac. loc. cit. punct. 4. num. 2. La Croix loc. cit. num. 457. cum Navari, & Soto ibi citatis, & alii: Excipe tamen nisi nollet ludere cum tali persona, ex quo nimis rixosa, fraudulenta, aut se ipso in ludo periret, aut in tali ludo non esset ipse expertus, aut nollet ludere in tali loco, vel tempore, utpote Deo, aut Sanctis specialiter dicato, uti sunt loca Sacra, Tempora Festiva, & hujusmodi.

109 Qui vovit non bibere vinum ad evitandam ebrietatem, non tenetur abstinere a cerevisia, aut aliis potibus inebriantibus. Sanchez lib. 4. cap. 11. num. 44. La Croix loc. cit. num. 460. testans de communi contra paucos. Et ratio est, quia licet in tali casu inveniantur finis, ob quem vovit, nempe ut evitet ebrietatem, tamen res propriae non comprehenditur sub materia promissa, cum vere, & proprie cerevisia, & alia hujusmodi non sint vinum. Unde in te odiosa non debet fieri extensio ad illa, arg. cap. Odia 15. de Regul. Jur. in 6. Tum quia vota in dubio interpretanda sunt in favorem votantis, & in mitiorem partem, per Jura adducta supra num. 102.

Non est negandum, finem voti sub votum non cadere, ut universim Theologi tradunt. Ergo vi voti de abstinendo a vino ob ebrietatem, non tenetur homo abstinere a cerevisia, aliisque inebriantibus liquoribus, qui non sint ex uvae expressi; sed a vino adusto, seu a spiritu vini abstinere debet, cum hoc vinum revera sit, immo vegetat ac potior pars vini; Neque enim desinit esse vinum, quia fortius, & adustum. Et si dubitandi ratio esset, interpretatio non in favorem libertatis, sed in favorem voti facienda foret; cum in dubiis pars tutior sit eligenda. Si voti finis sub votum non cadit, ergo votans non bibere vinum ebrietatis causa, tenetur omnino abstinere a vino, etiamsi prudenter ebrietatis periculum non metat; Nam abstinendam a vino Deo vovit, etsi votantis finis declinatio fuerit ebrietas.

Vinum ergo bibens votum infringit. Dum vero si qui vovet se non amplius bibiturum vinum, secum ipse constituat polliceri tantum abstinendum ab immediata usu vini, vel a bibendo vino in his tantum circumstantiis, in quibus antea inebriatus fuerit, tunc abstinencia ex ipsa votantis voluntate limitanda erit.

110 Cum ea, quae ad me concluduntur sub cit. n. 109. innuantur stabili fundamenti rationibus, & juris tum canonici, tum civilis, & prudentis lectoris aequo judicio me submitto.

Qui vovit non bibere vinum solum, ut evitet ebrietatem, non peccat saltem graviter, si parum bibat; Immo graviter non peccat, etiamsi multum bibat, si certus sit hic, & nunc non adesse ebrietatis periculum. La Croix loc. cit. num. 403. & alii passim. Et ratio est, quia finis voti, ut supponitur, fuit solum ad evitandam ebrietatem; ergo quoties votans certus est non adesse in tali potum periculum ebrietatis, non violat saltem in gravi sulm votum.

111 Qui vovit non bibere per integrum mensem, tenetur toto mense se abstinere a vino; Unde peccat toties, & quoties vinum bibit, cum tale votum sit negativum obligans ad instar praecipit negativis semper & pro semper. Communis.

112 Qui vovit nunquam bibere vinum, potest in Missa sumere utramque abluentionem. Azotius lib. 11. cap. 20. Pasqualig. in praxi jejum. decia. 235. Gobat in Quinario, tract. 5. cap. 4. num. 10. La Croix loc. cit. n. 451. & alii passim. Immo si sit Laicus potest sumere vini abluentionem post Communionem, & maxime si abhorreat ab abluentione aquae. Et ratio est, quia talis interpretatur intentio votantis, cum dictae abluentiones non veniant nomine potus vini, quem votans censetur sibi velle per suum votum interdicere. Sic citati Doctores.

113 Alia ad rem. Vide verb. Conjuges ad num. 3. verb. Debitum conjugale ad num. 56. verb. Impedimenta Matrimonii art. 1. d. num. 23.

114 Ad complementum additur, quod B. V. M. non obstante voto Castitatis prius emisso, valide, & licite verum Matrimonium contrahit cum S. Joseph. Sic S. Augustinus, S. Bonaventura, Scotus, & alii communiter. Et quod validum, & verum Matrimonium contractum fuerit inter B. V. Mariam, & S. Joseph habetur expresso ex Sacra Scriptura, quae sexies, nempe Mathei cap. 1. num. 16. num. 18. num. 19. num. 20. numer. 24. & Luc. cap. 1. num. 27. vocat Mariam conjugem, & Joseph viram ejus; Hinc S. August. lib. 23. contra Faustum cap. 8. dicit fuisse inter ipsos verum conjugium non concubitu, sed affectu, non commissione corporum, sed copulatione (quod ebrius est) animorum. S. Thomas part. 3. quest. 29. art. 2. expresse ait, omnino verum fuisse Matrimonium Virginis Matris Dei, & Joseph. Scotus in 4. dist. 30. q. 2. id fuisse probat, ac quomodo fieri potuit cum voto virginis, tribus claris demonstrat exemplis, uti & faciunt S. Bonaventura, aliique Sancti Patres, & Doctores passim, ac novissime Card. Prosper de Lambertinis, deinde Benedictus XIV. fel. recor. in sua admirabili, semperque commendabili Opere de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione lib. 3. cap. 24. num. 57.

115 Et quod non obstante voto castitatis, etiam licite contraxerit Matrimonium, retento adhuc in se proposito castitatis servandae, ostendit ex divina revelatione ei facta, quod Joseph nunquam ab ea esset conjugale debitum peturus; Sanctus enim Thomas in 4. dist. 30. quest. 2. art. 1. quantum, 2. ad 2. expresse dicit: Beata Virgo, antequam contraheret cum S. Joseph, fuit certificata divinitus, quod Joseph in simili proposito erat servanda Virginitatis, & ideo non se commisisset periculo nubens. S. Augustinus lib. de Sancta Virginitate cap. 4. sic habet: Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro: justo non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro: quod illa jam voverat. Scotus in 4. dist. 30. quest. 2. li. B. sic concludit: Ergo ubi est certitudo simpliciter, quod nunquam ponitur in effectu, (petito scilicet debiti conjugalis) ibi in nullo prejudicat voto castitatis contractus Ma-

trimonii, sed hic fuit talis certificatio; ex quo enim habetur Matth. 1. quod Angelus instruxit Joseph; Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; multo magis, immo indubitanter concluditur, quod ipsa per Angelum, vel immediate a Deo antequam desponsaretur Joseph, fuit certitudinaliter edocta: Noli timere accipere Joseph virum justum in conjugem; ecce enim Spiritus Sanctus dabit eum tibi custodem, & testem virginitatis, qui tecum parum voto contineat, & in multis tibi virginis custodiam congruentibus obsequatur.

116 Nec valet objicere Canon. Voventibus 2. caus. 17. quest. 1. ubi sic expresse habetur: Voventibus virginitatem, non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est. Non valet, inquam, quia ut recte explicat meus Subtilissimus Doctor loc. cit. in respons. ad 1. dicitur Canon intelligi debet de volentibus nubere secundum communem legem, non autem de illis, quibus constat certitudinaliter, quod nunquam usus sequens talem adum petetur, uti ex praallatis Sanctis Patribus, & aliis erat divinitus certiorata B. V. Maria, quod sine complexu viri, & integre servato suae virginitatis voto, Spiritu Sancto occultissime, ac castissime erat secundanda, & ingravidanda, juxta illud Luc. cap. 1. num. 35. Spiritus Sanctus superveniens in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quod & jam praefiguratum fuerat apud Ezechielem cap. 44. num. 2. ibi: Porta haec clausa erit, vir non transibit per eam, quantum Dominus Deus Israel ingressus est per eam.

117 Hic ad rem afferre lubet celebrem causam multis jam ab annis in Sacror. Rit. Congregatione pendentem nostri V. Fratris Sebastiani ab Apparito, vulgo nuncupati Pirausta. Hic velut alter Job, vir erat eximia virtutis, simplex, rectus ac timens Deum, & recedens a malo, Job cap. 1. num. 1. Concepti propositi servandae virginitatis adeo sollicitus, ut jam tertio per mulieres sibi à Diabolo paratas vehementissimas insidias, in ipso juvenutis flore eluserit, ac insuper de ipsomet damone in feminea specie sibi apparente, gratia Dei viriliter triumphaverit, & oblatas sibi conspicuas nuptias modesto ac caste rejecerit. Factus postmodum pene sexagenarius, prudenter illud Gener. cap. 2. num. 18. Non est bonum hominem esse solum, mente revolvens, sociam sibi querere cogitavit, talem quidem, ut dicitabat, cum qua vivere liceret in casto, & virginali connubio, adinstar S. Patriarchae Joseph cum castissima, & undequaque Sanctissima sua sponsa V. M.

118 Ejus piis votis Deo annuente, castissimam filiam, qualem ipse cupiebat, dote pauperem, sed castioniam, aliisque virtutibus divitem, sibi ab ipsius honesto patre in conjugem oblatam, unice tantum ut ei in spiritalibus, ac temporalibus indigentis praesidio adesset, eamque à mundi periculis, atque virginitalis jactura ob pauperem eriperet. Divinam hanc fore voluntatem firme credens, atque id singulare pietatis, ac charitatis opus esse advertens, puellam in sponsum accepit; qua intra annum decessa, aliam non inferioris castioniae & virtutis tenellam puellam ob similes caritativos fines sibi despondit, quae intra octo menses & ipsa decessit, sua cum ipso semper pro voto inviolata castitate servata. Postmodum secretiori Dei consilio adhuc ad perfectionem statum vocatus, ad habitum, & professionem mae Seraphicae Religionis jam septuagenarius fuit admissus die Sancto Antonio de Padua sacra, ac ex Obedientia in Conventu Angelorum, quasi alter Angelus praesua Angelica innocentia, & castitate locatus, juxta illud Matth. cap. 22. num. 30. Erunt sicut Angeli Dei; Et illud Marci 12. num. 25. Sunt sicut Angeli in Caelis, in eo, ac aliis spatio 26. annorum sanctissime vixit, atque tandem in Domino obdormivit, eximie virtutibus, & insignibus miraculis in vita, & in morte, ac post mortem adhuc in dies clarissimus, ut ex ejus Legenda ad diem 25. Februarii, & Processibus pro sua Beatificatione confectis.

119 Introduta de more in Sacror. Rit. Congreg. ejus causa, exquisitoque Promotoris Fidei voto super debito conjugalit, neutri ex illis ab ipso reddito, Prosper Bottinini Archiepiscopus Myrensis, & Prosper de Lambertinis, B. V. M. M. I. X.

bertinis in dicto munere ejus successor, postea Summus Pontifex Benedictus XIV. illum peccasse dixerunt; non quia laudabilia quodammodo, & heroica diet non debeant Matrimonia, in quibus mutuo accedente conjugum consensu nulla fit ejus consummatio; sed quia de consensu iam prima, quam secunda uxoris non constabat, & querimoniae non defuerunt consanguineorum praedictarum foeminarum, quod eis debitum non redderetur, ex quibus inferebatur praedicti consensus defectus; multa fuerunt à doctissimis Postulatoribus allata, ut difficultati satisfaceret: suffragia quoque Academicarum seu Universitatum Theologicarum, Parisiensis, Salamanticensis, & Patavinæ requisita, & Romae edita anno 1722. fuerunt omnino concordia in asserendo Matrimonia non modo valida fuisse, sed commendatione digna; nec praemissum servandae virginitatis propositum substantia Matrimoni obfuisse, cum ex Sanctorum Patrum, Sacrorumque Canonum Doctrina pro certo habeatur simplex servandae virginitatis propositum dictae Matrimoni substantiae nihil officere; S. Augustinus lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. S. Thomas in 4. distincti. 30. quest. 2. art. 1. Scotus in 4. distincti. 30. quest. 2. Alexander III. in cap. Commisum 16. de sponsalib. & Matrimon. Mulierum quoque consensum implicitum, aut explicitum, non defuisse, querimonias à consanguineis excitatas fuisse, non quia dictae uxores unquam de redditione debiti cogitaverint, sed quia ipsi pinguem servi Dei hereditatem ad filios ex suis consanguineis nascituros deferri ardentem exoptabant, ut ex Scripturis Postulatorum, & Theologorum suffragiis habetur, ut quoque more eruditissime dicit Card. de Lambertinis postea Summus Pontifex Benedictus XIV. loc. cit. num. 57. ubi rectissime concludit, quod in hac causa judicium Sacrae Congregationis sit expectandum, & ex particulatibus facti circumstantiis potissimum desumendum.

120 Quod Deo favente, ipsoque Venerabili ejus servo tot novis semper in die coruscante prodigiis, intercedente, favorabile tandem speratur, ac in claris ponetur heroica ipsius virtus, ob quam tales puellas, de quarum castimonia, & continentia permulta dubitare non poterat, sibi caste desponderat; Non deficientibus etiam aliorum exemplis, qui non absimili servandae virginitalis proposito obstricti, ob justos fines Matrimonium contraxerunt, & castitatem illibatam in conjugio coluerunt, ut de S. Pulcheria Imperatrice cum Marciano ob id ad Imperium evecto, de S. Caecilia cum Valeriano, de Diva nostra Delphina cum S. nostro Eleazio Ariani Comite, de Sanctis Juliano & Basilissa, aliisque pluribus, qui virginea connubia contraxerunt, atque castissime servaverunt, de quibus apud Scacchum de notis, & signis Sanctitatis sect. 6. cap. 6. pagin. 476. & sequentibus, Cardin. de Lambertinis loc. cit. num. 57. Card. Baron. in Annalibus ad annum 450. Nicephorum lib. 4. historiar. cap. 58. & alios passim; Sicque animadversiones ratione Officii à Fidei Promotoribus, & aliis adversus Heroicitatem virtutis nostri Venerabilis servi Dei propositae, in ejus laudem, & commendationem converterunt, & Beatorum, ac Sanctorum fastis (& oh faxit Deus quod quantocius) rite, & Canonice finaliter adscribatur.

ARTICULUS II.

Quo ad ea, quae concernunt vota substantialia Religionum Regularium.

Ad essentiam cujuslibet Regularis Religionis requiruntur tria substantialia vota, nempe Obedientiae, Paupertatis, & Castitatis, adeo ut sine illis Religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit. S. Thom. a. 2. quasi. 188. art. 1. & Communis, ac certa aliorum arg. cap. Cum ad monasterium 6. de statu Monachorum. & Extravag. Joan. XXII. incip. Quorundam 1. de verb. significat. § penult. circa finem.

Dicta tria vota sunt de essentia Religionis ex Jure divino, adeo ut nec Papa possit dispensare in sensu

composito, quod aliquis sit, & maneat proprie Religiosus, & tamen non sit adstrictus tribus allegatis votis, quamvis ex aliqua gravi causa bonum commune concernente possit dispensando ex Religioso facere non Religiosum, & ei concedere facultatem ad seculum redeundi, & nubendi. Vide *verb.* Religiones Regulares n. 8.

3 Et ratio est, quia status Religiosus secundum suam substantiam, seu essentiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate à Christo Domino fuit institutus: Christus enim ipse homines ad tria illa consilia Evangelica est cohortatus, & ad vota perpetua de illis faciendi, ut colligitur de Obedientia, quæ fit per abnegationem sui, & suæ propriæ voluntatis, ex *Matth.* 16. ibi: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*. Et de paupertate ex *Matth.* 19. ibi: *Vade & vende quæ habes*. Et de castitate *Matth.* 19. ibi: *Sunt Eunuchi qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum*, adeoque dici debet, esse de Jure divino, non præcipiente, sed consulente, ut docent communiter Doctores.

4 Status Religiosus à Christo Domino sic institutus, eo invitante, & hortante, statim ab initio Ecclesiæ fuit susceptus ab ipsis Apostolis, ac aliis Christi discipulis. Vide *d. verb.* Religiones Regulares num. 10.

5 Dicta tria vota, potius quam alia, fuerunt constituta pro essentia status Religiosi, quia per ea homo perfectus se consecrat, & unit Deo. Vide *d. verb.* Religiones Regulares num. 11.

6 Verus & perfectus status Religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo, & immediate institutus à Christo Domino. Vide *ibid.* num. 14.

7 Quamvis dicta tria vota pro essentia status Religiosi fuerint à Christo Domino instituta, tamen eorum solemnitas à sola constitutione Ecclesiæ fuit inventa. Vide *ibid.* num. 16.

8 Unde Ecclesia, seu Sedes Apostolica potest admittere, & approbare, ut veram Religionem etiam sine votis solemnibus, & cum solis votis simplicibus, ut expresse declaravit Greg. XIII. constit. *incip. Ascendentes Domino*, statuendo, quod Religiosi præclarissimæ Societatis Jesu, qui peracto Novitiatu primam Professionem emittunt, pro veris habeantur Religiosi, non obstante quod non nisi simplicia tunc edant vota, & non solemnia emittant, ibi: *Nos considerantes voti solemnitatem sola Constitutione Ecclesiæ inventam esse, tria-que hujusmodi Societatis vota, tametsi simplicia, ut substantia Religiosis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu Religiosis vere constare.* Vide *ibid.* num. 16.

9 Inter dicta tria substantialia Religionum Regularium vota, Obedientia primatum tenet: Nam si Paupertas offert Deo divitias, & Castitas corpus, offert Obedientia ipsamet voluntatem: eo autem nobilissimum est votum quo plus Deo offertur; Unde Joan. XXII. in Extravagant. *incip. Quorundam* 1. *de verbor. significat. §. penult. circa finem*, sic habet: *Magna quidem Paupertas, sed major Integritas, horum est Obedientia maximum, si custodiatur illa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur, & animo.* Vide *ibid.* numer. 11.

10 Obedientia Religiosa est votum, quo se Religiosus obligat in aliqua Religione à Sancta Sede approbata ad obediendum Prælo competenti in omnibus, quæ cadere possunt sub virtute Obedientia. Est in re Communis. Obedientia enim dicitur quasi ab Audientia, sive ab audiendo præceptum Superioris, ut recte notat Donatus *prax. Rerum Regul.* tom. 4. *traçt.* 17. *quest.* 2. num. 1. & alii.

12 Ut Obedientia sit perfecta, Deo grata, & meritoria, requiruntur sequentes conditiones. Prima ut sit prompta, & sine mora, juxta illud *Psal.* 118. ibi: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Unde S. Bernardus *serm. de virtute obedient.* circa medium, sic habet: *Fidelis obediens moras necesse fugit crastinum, ignorat tarditatem.* Secunda ut sit cæca, ita ut non examinentur rationes, motiva, aut intentio Superioris præcipientis, & cur potius sibi, quam alteri præcipiatur: Unde S. Bernardus, vel potius Guillelmus Abbas *Epist. ad FF. de monte*

Dei cap. 5. *novæ edit. Perfecta Obedientia est... non discernere quid, vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum nititur, ut fideliter, & humiliter fiat quod à majore præcipitur.* & S. Gregorius in *prim. Reg. lib.* 2. cap. 4. *Verba Obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia omne vitæ suæ iudicium majori subdicit: Nescit enim iudicare quisquis perfecte didicerit obedire.* Tertia ut sit hilaris sine querela, & murmuratione, juxta illud *Ecclesiastici* 35. ibi: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & 2. ad Corinth.* 9. ibi: *Hilarem enim datorem diligit Deus, & ad Philippenses* 2. ibi: *Omnia autem facite sine murmurationibus.* Quarta ut sit humilis, seu cum humilitate fiat, juxta illud *Luce* 17. ibi: *Cum hæc omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicit: servi inutiles sumus, quod facere debuimus, fecimus.* Quinta ut sit fortis, seu generosa ad superandum omnem difficultatem, juxta illud *Psal.* 30. ibi: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, & 1. ad Corinth.* 16. ibi: *Viriliter agite, & confortamini.* Unde S. Basiliius in *sua Regula* cap. 5. Sic habet: *Obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus, si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide; sed viriliter, & strenue fiat.*

Religiosus ex vi voti Obedientia tenetur Superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit secundum Regulam, & Constitutiones sui Ordinis, sive directæ, & explicitæ, sive indirectæ, & implicitæ. Communis. Et ratio est, quia Religiosus ad hæc omnia se obligavit eo ipso, quo Professionem emisit secundum Regulam, & ad obediendum se voto obstrinxit, cum profertur Regulam implicitè etiam se obligavit ad ea omnia, sine quibus Regula commode observari non potest.

14 Illa autem dicuntur directæ, & explicitæ contineri in Regula, quæ clare, & expresse in Regula ipsa habetur, & illa dicuntur in ea contineri indirectæ, & implicitæ, quæ ad Regulam observantiam sunt necessaria, & sine quibus Regula proprii Ordinis in suo vigore conservari non potest. Layman *lib.* 4. *traçt.* 5. c. 9. num. 11. Lessius *lib.* 2. cap. 41. *dub.* 9. Busemi *lib.* 4. cap. 1. *dub.* 4. Vasquez *num.* 2. *disp.* 154. cap. 4. Lezana *Summ. quest. Regular.* tom. 1. cap. 4. num. 10. & alii passim.

15 Religiosus tenetur obedire suo Superiori non solum in rebus, quas certo cognoscit esse secundum Regulam, & Constitutiones sui Ordinis; sed etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit vere secundum dictam Regulam, & Constitutiones sui Ordinis, & an sit licita nec ne? Dummodo non cognoscit evidenter esse malam, & illicitam. Sic fere Communis Doctorum, per text. in *cap.* Quid culpatur 4. *causa* 23. *quest.* 1. ubi ex verbis S. Augustini sic præcise habetur: *Non enim est potestas, nisi à Deo sive juvente, sive sinente, ergo vir justus, si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, potest recte illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, invocentem autem militem ostendat ordi servandi; & cap. Ad Aures 5. de temporibus ordinat. ubi generaliter definitur, quod subditi in omnibus, etiam in his, tenentur Superioribus obedire; Dummodo tamen non præcipiant, quod manifeste malum sit, ad quod Glossa *ibidem verb.* Obedientiam Jura alegant. Et ratio est, quia Superior est in possessione præcipiendi; & in dubiis melior est conditio possidentis, cap. Ad aures 6. de prescriptionibus *cap.* In pari 65. de Regul. *jur.* in 6. l. Nemo 126. & l. in pari causa 128. ff. de Regul. *jur.* cum similibus. Tum quia Superior habet Jus certum præcipiendi, quo non est spoliandus per superveniens dubium sui subditi; Unde S. Bernardus *lib.* de dispensat. & præcepto cap. 9. ait: *Quidquid vice Dei præcipit bono, quod sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus.**

Unde Religiosus non tenetur obedire Superiori in iis, quæ clare sunt contra suam Regulam, & Constitutiones sui Ordinis; Nisi Superior sit talis, qui possit in ipsis dispensare, & causa legitima adsit, Communis.

17 Neque communiter loquendo in iis, quæ sunt supra Regulam, ut si Superior præcipiat nimiam macerationem corporis, extraordinarias mortificationes, & austeritates, & hujusmodi opera supererogabilia. Item nec in iis, quæ sunt præter Regulam, ut si Superior præcipiat opera, quæ ex objecto, & circumstantiis sunt omnino indifferentia, & inutilia, & quæ ad Institutum nihil conferunt. S. Thomas 2. 2. *quest.* 186. *art.* 9. & *quodl.* 10. *art.* 10. S. Bernardus de *precepto, & dispensat.* cap. 5. alias cap. 8. ubi sic expresse habet: *Prælati jussio, vel prohibitio non præterat terminos Professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi circa. Nihil me Prælati prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi.* Lezana *loc. cit.* num. 4. & 13. Sporer *tract.* 1. *proemial.* cap. 1. *sect.* 6. num. 38. testans de communi.

18 Potest tamen Superior Regularis præcipere alicui subdito ambulationem, honestam recreationem, & hujusmodi, si hoc iudicet expediens, ut talis Subditus vegeter resurgat ad Regulam observantiam. Item potest Superior alicui subdito præcipere omissionem alicujus præcepti Regule, ut jejunii, recitationem divini officii &c. si id cognoscit expedire pro aliqua differentia temporis ad ejus salutem corporalem, vel ut dolore capitis vehementer angatur, si debilitate stomachi prematur, & hujusmodi, & tunc tenetur subditus obedire, ut notant communiter Doctores.

19 Item potest Superior aliquam austeritatem, & mortificationem extraordinariam præcipere subdito tum ad puniendum crimen commissum, tum ad recidivam præcavendam, & tunc tenetur subditus obedire, quia hoc expedit ad Regulam observantiam. Communis.

20 Regulares utriusque sexus Professi in Religione relaxata tenentur obedire Superioribus illam reformantibus in votis essentialibus, & in iis, quæ ad Primam Regulam observantiam conducunt. Vide *verb.* Regulares *art.* 2. à num. 73. ad 84.

21 Hinc Capitula Generalia, aut Provincialia, sicuti & Prælati, quibus incumbit pro toto Ordine, vel Provincia, constitutiones, & statuta condere, possunt certis abstinentiis, aut austeritatibus imponere, quamvis in Regula nec explicitè, nec implicitè continentur, si id expedire videatur pro majori Regule, ac Constitutionum Ordinis observantia; & tunc tenentur subditi in supradictis obedire, cum votum obedientiæ obliget ad ea, quæ ad Regulam, vel ad Regularum Observantiam pertinent, ut docent communiter Doctores cum S. Thomas 2. 2. *quest.* 104. *art.* 5.

22 Religiosi tenentur obedire Prælati jubentibus, ut eant ad commorandum in aliquibus monasteriis aeris intemperie laborantibus. Id enim est Regule conforme, & necessarium pro conservatione Conventuum, seu locorum Regularium; dummodo tamen Superiores in his non ducantur aliqua passione, aut mala voluntate, quia si subditi aliquis certo sciret Superiorem hoc illi præcipere solum ex odio, & mala voluntate erga ipsum, posset non obedire, quia Superior tunc abuteretur sua potestate, & consequenter peccaret; in peccatis autem subditi non tenentur obedire. Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *quest.* 1. de Obedientia *cap.* 11. Henno *tom.* 2. *traçt.* 3. de Religioso *disp.* unica *quest.* 9. *concl.* 2. *recolat.* uti. Lezana *loc. cit.* num. 16. Donatus *prax. rer. Regular.* tom. 4. *traçt.* 17. *quest.* 23. num. 5. & alii. Dicunt tamen notanter, si subditi aliquis certo sciret, quia si solum de hoc dubitaret, tenetur obedire per dicta, & Jura adducta supra num. 15.

23 Item tenentur subditi Religiosi tempore pestis, aut alterius mali contagiosi obedire Prælati præcipientibus sibi, ut ministrent in spiritalibus, & temporalibus suis Religiosis tali morbo, seu malo contagioso infectis. Lezana *loc. cit.* num. 19. cum aliis ibi allegatis, Henno *loc. cit.* resol. 10. & alii communiter cum Mastro *theol. moral.* *disp.* 14. *quest.* 1. *art.* 3. num. 27. Et ratio est, quia id spectat ad bonum commune Religionis, quam professi sunt. Notant tamen recte Doctores debere tunc Superiores eligere ad id Religiosos robustiores, ac minus utiles, & quidem pro ministeriis corporalibus pri-

mario laicos, cum id, ut de se patet, exigat bonum commune Religionis.

24 Non tenentur tamen Religiosi regulariter, & per se obedi- re Prælati præcipientibus, ut ministrent similibus infirmis extraneis cum periculo Vitæ, sicuti cum tali periculo tenentur obedire & servire suis Religiosis sic infirmis. Præceptum enim, ut subditi Religiosi serviant extraneis peste infectis cum periculo propriæ vitæ, non est secundum Regulam, sed supra illam. Dicitur autem notanter regulariter & per se, quia per accidens, & in casu, quo deessent Parochi, qui illis Sacramenta ministrarent, vel qui ob multitudinem infirmorum non sufficerent ad id præstandum, tunc tenerentur Religiosi obedire, & Sacramenta ministrare etiam ipsis extraneis. Et ratio est, quia id non est supra Regulam, sed potius illam concernit, cum Religiosi, præsertim Mendicantes, & alii, quorum Institutum est saluti proximorum incumbere, sint Coadjuvatores Episcoporum, & Parochorum in salute proximorum procuranda, & ob id Fidelium elemosynis sustentantur. Rodriguez *tom.* 3. *quest.* 31. *art.* 3. & 4. Sanchez *lib.* 9. in Decalog. *cap.* 2. num. 54. Lezana *loc. cit.* num. 19. Mastro *loc. cit.* cum pluribus aliis ibi allegatis, & alii passim. Qui omnes una cum S. Thoma *opuscul.* 18. *cap.* 12. ob easdem rationes idem concludunt de tempore hæresis, quæ est perniciosissima pestis spiritalis animæ, nempe teneri Religiosos obedire Prælati suis præcipientibus, ut assistant aliquibus locis ad prædicandam, & contra Hæreticos defendendam Fidem Catholicam etiam cum periculo propriæ vitæ.

27 Quamvis Religiosus non tenetur obedire Superiori præcipienti actus mere internos, & nullam habentes connexionem cum actibus externis, ut sunt actus Fidei, Spei, Charitatis, & hujusmodi, cum actus interni per se, & directe non subjiciantur Legi humane, sed soli Deo, secundum illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. ibi: *Nolite ante tempus judicare, donec Dominus manifestet consilia cordium, & solus Deus sit secretorum cognitor, & Judex; Psalm.* 7. ibi: *Scrutans corda, & rener Deus, & 1. Reg.* 16. ibi: *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor.* Unde recte dicitur, quod Ecclesia non judicat de internis, & occultis; *cap. Tria 34. de Simonia, cap.* Erubescant 11. *distinç.* 32. & S. Thomas 2. 2. *quest.* 104. *art.* 5. in corpore expresse dicit: *Et ideo in iis, quæ pertinent ad interiore motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire; sed solum Deo: Tenetur tamen Religiosus obedire Superiori præcipienti actus internos, prout connexionem habeat cum actibus externis, cum sic per accidens & indirecte subsint Judicio humano, & possint præcipi, ut patet ex Clementin. Ne in agro 1. §. Quia vero, de statu Monachorum. ubi excommunicantur Monachi ad Curias Principum accedentes animo offendendi suos Prælatos, ubi ut vides, non prohibetur animus offendendi, ut est actus interior simpliciter, sed prohibetur animus offendendi, ut est conjunctus cum tali accessu, ita quod prohibetur talis accessus, non cujuslibet, sed habentis talem animum offendendi, & nocendi. Sic in *cap.* Commissa 25. de election. in 6. constituitur, ut qui Parochialem Ecclesiam obtinuerit sine voluntate ascendendi ad Presbyteratus Ordinem, beneficium ipso Jure amittat, & fructus non faciat suos: ubi non condemnantur defectus voluntatis ascendendi ad Presbyteratum, ut est actus interior simpliciter, sed ut est conjunctus cum assecutione Parochialis Ecclesiæ. Eadem ratione Prælati Regulares possunt Subditis per Obedientiam præcipere, ut quas celebrant Missas, pro sua intentione offerant, nam in tali præcepto, & similibus, non præcipitur applicatio Missæ, ut est simpliciter animi motus interior, sed præcipitur idem interior animi motus, ut conjunctus cum actu exteriori celebrationis Missæ. S. Thomas 2. 2. *quest.* 104. *art.* 5. Angelus in *Summa verb.* Obedientia num. 1. Tabiena *eod. verb.* Obedientia n. 4. Silvester *eod. verb. quest.* 1. Reiffenstuel *theolog. moral.* *traçt.* 2. *dist.* 1. à num. 46. ad 50. Sporer *tit.* 1. *traçt.* 1. *proemial.* *cap.* 3. à num. 39. ad 44. & alii passim.*

Religiosi ex vi voti Obedientia tenentur obedire in

in his, quæ concernunt Regulam, non solum Prælati Religiosis, sed etiam specialiter Summo Pontifici, non solum quatenus est Caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam Seculares ei obedire tenentur, sed specialiter etiam ratione Voti Obediendi, emissi in Regulari Professione. S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 5. ad 3. & alii communiter. Et ratio est, quia Votum Obediendi per se primo, & principaliter fit Romano Pontifici tamquam Generalissimo omnium Religionum, & omnis potestas Jurisdictionis Generalium, aliorumque Prælatorum Religionum ab illo dependeat, & eam Prælati Regularibus in approbatione Religionum censeatur concedere dependere tamen semper ab ipso.

29. Item ex vi voti Obediendi tenentur Religiosi obedire Sacræ Congregationi super Regulares, quia dicta Congregatio fuit instituta à Sixto V. in supremum, ac summum Tribunal omnium Regularium pro bono regimine, & felici gubernio eorundem, ut patet ex ejus constitut. incip. Æterni Dei: Unde dictum Tribunal censeatur esse intra Ordinem, ac stante dicta constitutione potest Regularibus omnibus præcipere auctoritate ordinaria, & dependere tamen à Papa. Sic Donatus 1. 4. prax. rerum Regul. traçt. 17. quæst. 27. Thomas à Jesu traçt. 3. de Visitat. Regul. cap. 17. num. 7. Lezana loc. cit. cap. 4. num. 31. & alii. Idem etiam propter eandem rationem dicendum venit de Sacra Congregatione super disciplina Regulari erecta ab Innocent. XII. constit. incip. Debitum Pastoralis Officii:

31. Item ex vi voti Obediendi tenentur Religiosi obedire Sacro Collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis. Dicitur enim Sacr. Colleg. eo tempore succedit in locum Papæ, adeoque tenentur Religiosi ei obedire eodem modo, & eadem obligatione, sicuti & Papæ. Donatus loc. cit. quæst. 29. Peyrin. tom. 1. privi. in privi. leg. 2. Sixti IV. num. 11. & alii.

32. Item ex vi voti Obediendi tenentur obedire Episcopo Religiosi illorum Conventuum, qui Episcopi Jurisdictioni subsumunt, ut declaravit Sacr. Cong. super statu Regularium die 27. Julii 1657. quæ ad 4. dubium ex citatis super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi, & omnimodæ Jurisdictioni Ordinaris tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, quod erat, ut sequitur: Quarto an Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ Regularem disciplinam concernunt? Sacr. Congreg. ad quartum respondit Posse. Quam responsum, ac declarationem una cum aliis ad se relatis Alexander VII. approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinet, observari præcepit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

33. Si in aliquo Conventu Episcopo subiecto contraria præcipiant Superior, & Episcopus, subditus in illis, quæ spectant ad Regulam, & Constitutiones Ordinis, ordinarie loquendo tenentur obedire Superiori, quia in hujus manibus vovit Obediendam secundum Regulam. In aliis autem, quæ spectant ad disciplinam Ecclesiasticam, tenentur obedire Episcopo, quia quoad illa Superior ipse est Episcopo subiectus. Si tamen Episcopus cum causa rationabili dispenset circa statuta, & Constitutiones dicti Conventus, & tunc præcipiat, debet subditus obedire Episcopo. La Croix lib. 4. n. 160. citans S. Thom. Augustin. aliosque cum Silvio part. 1. verb. Abbas casu 12. & 13. dubium. Vide verb. Conventus art. 2. ubi afferunt dicta dubia cum suis responsonibus.

35. Duobus Prælati diversa præcipientibus, si ipsi sunt diversæ Auctoritatis, debet subditus obedire majori, relicto minori, si minor à majori dependet, nempe Summo Pontifici, & dictæ Sacræ Congr. & Collegio Cardinalium Sede vacante, omissis omnibus Superioribus Ordinibus, Patri Generali, omissis Provincialibus, & huic, omissis Superiore locali, & sic de aliis. Communis, textu expresso in cap. Quæ contra 2. dist. 8. ibi: Major potestas ad obediendum præponitur, & cap. Qui resistit 97. caus. 11. quæst. 3. ibi: Ipso humanarum rerum gradus advertit, si aliquid jussit Curator, non ne faciendum est? Tamen si contra Proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed elige majori servire. Rursum, si aliquid ipse Proconsul jubeat, & aliud Imperator, nun-

quid dubitatur, illo contempto, isti esse tenendum.

Regulares ex vi voti Obediendi tenentur adimplere præcepta à Prælo imposita etiam existentibus illis extra Provinciam, seu Monasterium illius. Sic Donatus tom. 2. Prax. rer. Regul. traçt. 10. de potestate Prælator. quæst. 15. & tom. 4. traçt. 17. de voto Obediendi quæst. 34. cum pluribus ibi allegatis, Silvest. verb. Excommunicatio 2. num. 15. dub. 4. Lezana loc. cit. n. 37. Pellizat. p. 1. Manual. traçt. 4. sect. 4. num. 141. g. 13. Cornexo tom. 2. in tertia part. S. Thomæ traçt. 5. de censur. disp. 3. dub. 2. & alii. Et ratio est, quia Prælati Religiosorum non habent territoria divisa, ac personæ Episcopii; sed eorum Jurisdictio est in ordine ad personas subditas secundum se, & ubicunque sint, ita ut possint suos subditos ubicque gentium existentes citare, incarcerare, & excommunicare nullo habito respectu ad proprium territorium, & subditi teneantur obedire, cum votum Obediendi inhæreat omnibus Religiosorum, illorumque personas sequatur, ut lepra leprosum, ut recte cum aliis advertit Donatus loc. cit.

Non tenentur tamen Regulares obedire suo superiori excommunicato publico, & non tolerato, quia tunc Superior caret Jurisdictione in subditos. Immo neque possunt tunc subditi licite obedire Superiori sic excommunicato, quia hoc esset cognoscere in illo potestatem Jurisdictionis, quam non habet, & communicare cum illo, quod non licet cap. Nuper 29. cap. Si aliquando 41. de sentent. excomm. cum similibus, Donat. cit. tom. 4. traçt. 17. quæst. 35. Lezana loc. cit. n. 38. Cornexo tom. 2. in tertia part. disp. 10. de excommunic. §. 5. dub. 1. & alii passim.

Papa potest eximere quemcumque Religiosum ab Obedienda inferiorum Prælatorum, & sibi reservare. Hoc enim ei competit jure Supremi Prælati Religionum, quod ipse habet. Communissima.

Item P. Generalis, vel Provincialis potest ex justa causa eximere subditum ab Obedienda suo immediati Superioris, & sibi reservare: Habent enim ipsi in inferioribus Superioribus absolutam Jurisdictionem. Communis, cum Donat. traçt. variar. resol. quæst. 48.

Regulares nequeunt licite acceptare Episcopatum, vel aliam Dignitatem extra Ordinem sine licentia Superioris. Communis, per text. in cap. Cum sit necessarium 5. caus. 18. quæst. 2. & cap. Si Religiosus 27. de election. in 6. cum similibus. Religiosi enim non habent velle, nec nolle, cit. cap. Si Religiosus 27. de election. in 6. cap. Religiosus 2. de testam. in 6. cap. Religiosi 5. de Sepul. in 6.

Moniales ex voto Obediendi tenentur obedire Abbatissæ, seu Priorissæ Monasterii: Abbatissa enim potest præcipere Monialibus in virtute Sanctæ Obediendi, & præcepta formalia, ac spiritalia imponere, quæ in conscientia obligent; quia licet utpote fœmina fit incapax Jurisdictionis, & potestatis spiritalis spectantis ad Claves, & dependentis ab Ordine, ut est potestas Censuras ferendi, absolvendi, & hujusmodi; est tamen capax Jurisdictionis, & potestatis præceptivæ, dominativæ, & correctivæ spectantis ad Superioritatem, ipsique annexæ, quam ei ex vi voti in Professione emissa tradunt Moniales, quæ ideo tenentur eidem emitti. Unde talis Jurisdictio, ut potestas potest competere etiam Laicis, seu conversis in iis Religionibus; in quibus possunt esse Superiores, ut in Religione Sancti Joannis Dei, & in Ordine Fratrum Minorum; Tum quia Officiu Abbatissatus, sicuti in dictis Religionibus Officiu Superioratus, est Officiu Ecclesiasticum, ob quod si pretium interveniat, erit Simonia, qualis non esset, si nulla potestas spiritalis ei esset annexa. Donat. cit. tom. 3. traçt. 17. quæst. 3. Sanchez lib. 6. Summ. cap. 12. num. 22. Suar. tom. 4. de Reliq. traçt. 9. lib. 1. cap. 12. num. 9. Tambour. de Jur. Abbat. disp. 12. quæst. 5. num. 3. Melphi in Comment. cap. 11. statut. 7. assert. 11. Castrop. tom. 3. art. 16. disp. 4. p. 1. num. 3. Felix Potestas tom. 1. part. 1. cap. 2. quæst. 5. à n. 207. Rodriq. Lezana, & alii plurimi.

Superior, seu Superiorissa præcipere potest rem gravem sub culpa gravi, & levem sub culpa levi, & quam-

vis possit quandoque præcipere rem gravem sub culpa levi, nunquam tamen rem levem sub culpa gravi, cum non possit Legislator materiam capacitatem excedere, & materia levis sit incapax obligationis gravis. Vide art. antecedent. à num. 39. ad 43. Ceterum Superior, seu Superiorissa non censetur velle obligare subditos, vel subditas sub gravi, nisi in præcipiendo utitur verbis: In virtute Sanctæ Obediendi, in virtute Spiritus Sancti, In nomine Jesu Christi, sub præcepto formali, & hujusmodi; Si autem alia forma utatur, censetur velle obligare solum sub culpa veniali, & interdum etiam nulla; quod colligi potest ex modo præcipiendi, & ex quantitate, & qualitate rei præceptæ, ut advertunt Doctores communitè.

Paupertas Religiosa est votum, quo Religiosus in aliqua Religione à S. Sede approbata voluntarie abdicat à se dominium, & proprietatem omnium rerum temporalium, & omne Jus civile ad illas. Est in re Communis.

Hæc enim Paupertas, utpote voluntaria differt à paupertate coacta, & necessaria; quæ plures inviti temporibus bonis carent, & alieno sustentari coguntur; Et ut Professa propter amorem Dei in Religione à S. Sede approbata differt à paupertate philosophicâ, & moralî, quæ ex motivo pro humano contemnit temporalia, ut teste S. Hieronymo lib. 3. in Matth. cap. 16. fecit Crates Philosophus, & multi alii, qui divitias contemserunt.

Regulares utriusque sexus nequeunt habere aliquid proprium in particulari. Communis, per expressos textus in cap. Non dicatis 11. caus. 12. quæst. 1. cap. Monachii 2. cap. Super quodam 5. cap. Dum ad monasterium 6. de statu Monachor. ibi: Prohibemus quoque districte in virtute Obediendi sub obtestatione divini Judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet. Concil. Tridentin. sess. 25. de Regularibus cap. 2. ibi: Nemini Regular. tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatî fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Et decret. Clementis VIII. pro reformatione Regularium incip. Nullus omnino tibi §. 3. sic expresse præcipitur; Quo Trium Concilii decreta de Paupertatis voto custodiendo fideliter observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiam Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census elemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum iusto labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiam subditi consanguineorum, aut piorum largitione legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventus confundantur, quo communis inde vitium, & vestitus omnibus suppeditari possit. Quæ decreta iterum approbata, & innovata sunt à Sacra Congreg. Concil. jussu Urbani VIII. in decreto de Apostatis, & Ejectis §. 1. Vide verb. Ejecti num. 2. ubi referuntur dicta decreta, & verb. Regulares num. 85. ubi referuntur dicta decreta Generalia Clementis VIII. pro reformatione Regularium.

Regulares utriusque sexus nequeunt in particulari habere, & retinere aliquid proprium, neque de licentia ac dispensatione ejusdem Superioris, vel Superiorissæ. Vide verb. Moniales art. 2. num. 64. & verb. Legatum num. 91.

37. Adducuntur ad id variæ Resolutiones Sacræ Congreg. Concil. Vide d. Verb. Moniales à num. 35. ad 97.

38. Immo talis licentia, etiam si esset obenta ab eorum Generalibus, qui dicent eam posse concedere, non excusaret Regulares utriusque sexus à culpa, & poena à Tridentin. Concilio imposita, textu expresso in cit. Decret. Clement. VIII. §. 7. ibi: Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona immobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quominus culpa, & poena ab eisdem Concilii decretis impositæ, & ipso facto incurrende, obnoxii sint, etiam si Superiores assererent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea se fide minime adhiberi volumus, & sic saepe sapienter respondit Sacr. Congr. Concil. & signanter apud Quarant. verb. Casus reservati p. 156. Bartholomæum à S. Fausto, in Speculo Regular. lib. 1. de voto Paupertatis quæst. 108. & Lezanam tom. 1. Summ. cap. 6. num. 14. ubi referuntur præcisè responsones dictæ Sacr. Congreg. Concil. datæ ad dubia sequentia.

mobilia, vel mobilia fratres excusare possit, quominus culpa, & poena ab eisdem Concilii decretis impositæ, & ipso facto incurrende, obnoxii sint, etiam si Superiores assererent hujusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea se fide minime adhiberi volumus, & sic saepe sapienter respondit Sacr. Congr. Concil. & signanter apud Quarant. verb. Casus reservati p. 156. Bartholomæum à S. Fausto, in Speculo Regular. lib. 1. de voto Paupertatis quæst. 108. & Lezanam tom. 1. Summ. cap. 6. num. 14. ubi referuntur præcisè responsones dictæ Sacr. Congreg. Concil. datæ ad dubia sequentia.

I. An ex dispensatione inferiorum à Summo Pontifice licet Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona, immobilia videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Concilii sess. 25. de Regularibus cap. 2.

II. An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum possidentes, vel tenentes immobilia vel mobilia superflua, culpa, vel poena excusentur?

III. An Superioribus asserentibus hujusmodi se licentias posse concedere fides adhibenda sit?

IV. An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares quoad mobilia superflua, & convenientia?

V. An Superiore quantumvis requisito necessaria suis Regularibus negante, vel subrahente, liceat ipsi eadem clam, vel invito eo, illa sibi comparare, seu retinere?

VI. Et quatenus non liceat, An ibidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subrahuntur, quia & monasterii facultates non suppleant?

VII. An dicti Superiores Regulares dict. cap. 2. declarare, & interpretari possint?

Ad I. Sacra Congregatio Concilii respondit non licere.

Ad II. Non excusari neque à culpa, neque à poena ipso facto incurrenda.

Ad III. Minime adhibendam.

Ad IV. Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habita videlicet ratione persone, officii, & regule, statusque paupertatis, quam professi sunt, & ceterarum iidem qualitatum.

Ad V. Non licere.

Ad VI. Licere, si præcisè necessitas sit ad individui sustentationem, ceterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, visque adeo ut si quid privatum alicui delatum, vel ab ipso portum fuerit, quæ id omne ad Superiorem recte deferri oporteat, qui ex eo primam succurrat ejus necessitati, ejus intuitu illud obtenerit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reliquum Conventui incorporatur, & in communem cedat utilitatem.

Ad VII. Non posse.

In Conventibus, & monasteriis, in quibus, vel ob earentiam reddituum, vel ob incuriam, & negligentiam superiorum, vita communis non servatur, nec potest introduci, & Conventus, seu monasterium indigentis Religiosorum, seu Religiosarum non supplet, nec ob ejus paupertatem supplere potest, quid agendum, & quomodo procedendum? Vide verb. Moniales artic. 2. num. 68.

Quomodo partita capsa communis, seu depositi debent inscribi? Vide ibid. num. 69.

Ut Regulares utriusque sexus in conventibus, & monasteriis, ubi non adest vita communis, possint licite exigere, retinere, & expendere livella, debent concurrere quinque conditiones, quæ assignantur; Vid. ibid. num. 70.

Livella non possunt à Regularibus utriusque sexus cedi eorum consanguineis sine licentia Sacræ Congregationis. Vide ibid. num. 71.

Posse autem Regulares utriusque sexus remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia Superioris, tenent passim Doctores. Vide ibid. num. 72.

Immo plures tenent posse Regulares utriusque sexus similes cessiones, remissiones, seu donationes fructuum

tuum sui livelli facere absque licentia ad id speciali Superioris, sed cum sola licentia generali insumendi tales fructus in suas indigentias, & Religiosos usus. Vid. *ibid.* num. 73.

¶ Quae Religioso professo conceduntur, sive ratione livelli, sive alia de causa, aut incorporati conventui debent, aut ita administrari, ut veluti Conventui incorporata administrantur. Id enim constat cum ex ipso voto paupertatis, quo quisque particularis adstringitur ad nil proprii habendum, sed ad omnia subjicienda Conventui ejusdem Superiori, qui bonorum Conventus administrator est, tum ex ipso Concilio Tridentino, quod solemniter decrevit, incorporandum Conventui esse, quicquid particularis quisque Religiosus quacumque de causa habeat, & acquirat. Atque hinc fit, ut bona, quorum usus particularibus Religiosis indulgetur, sive ex livello sint, sive aliunde proveniant, considerari semper debeant incorporata Conventui, & illius nomine administrata, qui delectus sit Superior, & administrator bonorum Communitatis, hoc enim seculo, nec bona incorporata Conventui dici possent, nec Religiosus particularis proprietatem illam excluderet, quae stare cum voto paupertatis non potest. Quae cum ita se habeant, facile est intelligere, Monachum, sive privatum Religiosum, non nisi indulgentia Administratore bonorum, quae ad Conventum spectant, licite posse, aut livelli fructus, aut fructus privati laboris, ad aliquem usum applicare: Nam deficiente hac indulgentia, sive licentia, proprietarius esset, & contra legem Concilii Tridentini ageret. Ergo necessaria est licentia Superioris, ut privatus Religiosus insumere in suas indigentias, & usus possit hujusmodi fructus: & hoc in casu existimari potest bona incorporata Conventui, ex voluntate Superioris, applicari ad usum privati Religiosi: cujus indigentis de bonis ipsius Conventus subvenendum esset. Dicit autem non potest, privatum Religiosum, cui permissum à Superiore sit in proprios usus impendere livelli fructus, licite posse eos cedere, remittere, vel donare consanguineis. Nam bona Conventus donare privatus Religiosus non potest Consanguineis, immo neque Superior; bona vero hujusmodi veluti incorporata Conventui haberi debent; ergo non solum subditus, sed nec Superior ipse potest hanc cessionem, & donationem facere, sed necessaria est Sacrae Congreg. licentia, ut optime dicitur numero 53. Ego vero in hujusmodi casibus ita subditum, ac Superiorem se gerere posse opinor: Si Conventus ita bonis ditatus sit, ut eleemosynam elargiri indigentibus possit, & debeat, dum Consanguinei Monialis, vel Religiosi, in paupertatem venerint, & veram indigentiam, poterit Superior indulgere, ut iis eleemosynae loco hujusmodi fructus remittantur, vel doneantur: Si vero iis non egeant, nec subditus, qui voto paupertatis adstrictus donare nequit, nec Superior, qui non dominus, sed mere administrator est bonorum Conventus, poterit hujusmodi remissionem, cessionem, aut donationem facere.

¶ Ea quae hic notantur & adduntur à R. Theologo, jam fusiori calamo à me tradita sunt tum in hoc ipso articulo à num. 45. ad 70. tum in verb. Legatum à num. 38. ad 94. & in verb. Moniales art. 2. à num. 65. ad 92. & verb. Regulares art. 1. à num. 15. ad 20. Nec verum est, quod ipse Theologus ibi circa finem suae notae opinatur dicens: Ego vero in hujusmodi casibus ita subditum, ac Superiorem se gerere posse opinor, si Conventus ita bonis ditatus sit. Quia quantumvis Conventus, seu monasterium sit dives, neque subditus etiam cum licentia sui Superioris, neque Superior potest condonare livella suis consanguineis pauperibus, neque Superior potest talem facultatem subdito concedere. Semper enim requiritur facultas Sacrae Congregationis, vel Sacrae Penitentiarie in quibusdam casibus occultis, ut pluries Egoemetipse in variis hujusmodi casibus prius à Regularibus utriusque sexus consultus, & post debitum recursum ad dicta respectiva suprema tribunalia, facultates ab ipsis concessas executioni demandavit, vel prout continebant, demandandas consului etiam pro

Conventibus, & monasteriis ditissimis. Et nec semper tales facultates fuerunt concessae pro cessione, seu condonatione totius summam, sed saepe pro sola media, vel tertia parte, prout paupertas, seu miseria parentibus superventa fuerat representata. Vide supra à me traditam num. 53. & verb. Moniales art. 2. num. 72. & quavis ibi num. 73. & 74. & hic num. 54. & 55. ad eruditionem referam opinionem Auctorem tenentium, posse Regulares utriusque sexus remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia Superioris; ibi tamen sub num. 85. & hic sub num. 56. subijuncti: Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam, & notabilem summam, pro qua semper recurrendum est ad Sacrae Congr. Vide, & firmiter tene, ut ibi, cum talis sit legitima praxis, & consuetudo, quae est optima legum interpres, textu expresso in L. Si de interpretatione 48. ff. de legibus; & in cap. Dum Dilectus 8. de consuetudine, cum similibus. (Vid. verb. Consuetudo & Lex.)

Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam. Vide *ibid.* num. 74.

Regulares utriusque sexus ex pecunia sui livelli, seu aliunde quaesita, nequeunt sibi census emere, seu constituere, neque de licentia Superiorum. Immo neque ipsam pecuniam tradere monasterio cum pacto, seu tertia conventionione, quod monasterium certos redditus ad rationem tot pro centenario, ejus vita durante, concedat, seu solvat. Vide *ibid.* num. 75.

Neque possunt Regulares utriusque sexus ex pecunia sui livelli, vel aliunde quaesita, & sibi libere à suis Superioribus concessa fundare censum, ut ex fructibus post ejus mortem celebrentur Missae pro ejus anima. Vide *ibid.* num. 76.

Neque possunt Regulares utriusque sexus tradere amico certam summam pecuniae ex suo livello, seu aliunde quaesita cum pacto, quod post ejus mortem faciat celebrari tot Missas. Vide *ibid.* num. 77.

An possint Regulares utriusque sexus dictam pecuniam ex suo livello, seu aliunde quaesitam proprio usui concessam donare alteri cum onere, ut statim celebrentur singulis annis aliqua Missae in perpetuum. Vide *ibid.* num. 78.

Sub quibus conditionibus solet Sacra Congr. concedere Regularibus utriusque sexus facultatem habendi livella, seu vitalitia. Vide *ibid.* num. 79.

Adduntur ad id variae specificae Resolutiones Sacrae Congr. Vide *ibid.* num. 80. & 81.

Regulares utriusque sexus administrare non possunt sua livella à se ipsis. Vide *ibid.* num. 88.

Legatum relicum alicui Regulari utriusque sexus sub conditione, quod quamdiu vivit, pertinet irrevocabiliter ad eum, vel eam, independentem à licentia Superioris, non debetur ipsi, sed monasterio, & talis conditio habetur pro non adjecta. Vid. verb. Legatum n. 88.

Immo legatum relicum Regulari in particulari momento temporis potest esse apud ipsum, sed illico acquiritur Monasterio. Vide dict. verb. Legatum numero 89. 90.

Nec Regulares utriusque sexus possunt in particulari habere, seu de se retinere Legata, praesertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcumque suorum Superiorum etiam Generalium, quavis assererent posse eam concedere. Vide supra num. 46. ad 49. & d. verb. Legatum num. 91. & 92.

Additur advertentia docentis habenda. Vide d. verb. Legatum num. 93.

Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda, & praec oculis habenda. Vide dict. verb. Legatum num. 94.

Regulares utriusque sexus an, & quomodo pecuniam ex suo livello, & aliunde quaesitam possint ludo exponere? Vide verb. Ludus à num. 9. ad 16.

Regulares utriusque sexus non possunt uti livellis, nisi servata forma constitutionis Clementis VIII. de largitione munerum. Sacra Congregat. Episcopi in Flo-

rentina 21. Julii 1690. ad relationem clarae memor. Cardinalis Petrucci, apud Monacell. tom. 1. in Appendic. Adnotat. ad constitut. Clementis VIII. de Largitione mun. num. 7.

71 Legatum relicum monasterio, seu Conventui bonorum incapaci pro sacristia, valeudinario, vel Ecclesiae pro cera, & oleo, non dicitur irritum, sed debet per Syndicum investiri pro adimplenda Testatoris voluntate. Vide verb. Legatum n. 95.

72 Unde legatum relicum Minoribus de Observantia, Reformatis, & Capucinis pro anniversariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesia, fabrica, luminariis, sindonibus, lineis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu victu, & vestitu, & aliis necessariis, est ipsis tradendum, & solvendum ab haeredibus. Vide *ibidem* numer. 96.

73 Adducitur ad id decretum Sacrae Congr. Rev. Fabricae, & juxta illius dispositionem ponitur in claris supradictis Minoribus Mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto praescriptum. Vide *ibid.* n. 97.

74 Adducitur decretum Congregationis particularis ab Urbano VIII. deputatae. Vide *ibid.* n. 98.

75 Adducitur decretum Sacrae Congr. Fabricae S. Petri de Urbe. Vide *ibid.* n. 99.

76 Adducitur aliud decretum ejusdem Sacrae Congr. Fabricae S. Petri. Vide *ibid.* n. 100.

77 Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi, & retinendi annua, & perpetua legata per modum simplicis eleemosynae, expresse comprobatur Brevi Urbani VIII. incip. Exponi Nobis: Vide *ibid.* n. 101.

78 Tale Breve ad omnium commodum ad literam datur. Vide *ibid.* n. 102.

79 Et ulterius dict. Fratrum Minorum capacitatem ostendunt varia decreta, quae afferuntur. Vide *ibid.* numer. 103. ad 109.

80 Insuper d. Fratrum Minorum capacitatem expresse demonstrant variae Resolutiones Sacrae Congr. Fabricae. Vide *ibid.* à n. 110. ad 113.

81 Et indistincte pro legato pro victu, & vestitu semper resolvit Sacra Congr. Boni Regiminis. Vide *ibid.* à n. 114. ad 116.

82 Item hanc Minorum capacitatem pluries comprobavit Sacra Congr. Episcopi. & Regul. Vide *ibidem* num. 117.

83 Item eandem capacitatem pluries approbavit Sacra Congr. Conc. Vide *ibid.* n. 118.

84 Ex supra recensitis stat clarum, quod Legata relicta Fratribus Minoribus per modum purae, & simplicis eleemosynae sustinentur, & eorum Syndicus Apostolicus tamquam unus de populo potest comparare, & implorare officium Ordinarii, ut demandet executionem testamenti, & adimpleatur ab haeredibus, seu executoribus mens testatoris. Vide *ibid.* n. 129.

85 Immo cum haeres teneatur in conscientia adimplere onera, & ipsas dispositiones testatoris, potest etiam cogi per Syndicum Apostolicum, non tamquam unum de populo, sed nomine Ecclesiae Romanae. Vide *ibidem* num. 120.

86 Plurima alia de capacitate Fratrum Minorum recipiendi, & retinendi perpetua annua legata per modum purae, & simplicis eleemosynae, videnda relinquuntur apud Pitonium part. 1. disceptationum ecclesiasticarum. discept. 2. per tot. & apud Petrum Marcellinum de Luccia in sua dissert. unic. de legatis pro victu Religiosorum Mendicantium relicto, per tot. ubi ultra adductas plurimae aliae afferuntur Apostolicae Sanctiones, & Sac. Congr. responsiones, & declarationes. Unde non amplius attendendi sunt Doctores in contrarium scribentes.

87 Quamvis Fratres Minores de Corpore Observantiae, & Capucini, dum de novo in locis recipiunt Conventus, nequeant per modum contractus, & tamquam de Jure exigere ab Universitatibus, & Communitatibus, vel ab aliis particularibus Benefactoribus, ut annuatim sibi solvantur certa pecuniae summa, vel quid aliud fixum pro eorum victu & vestitu, cum id sit expresse

contra suam Regulam, & Pontificias ac Regulares suas Constitutiones, ut plene adnotavit Rota in Turritana legatorum sub diebus 10. Jan. 1695. & 6. April. 1696. coram Emerice, cujus votum exquisierat, & exequi postea mandavit Sacra Congr. Episcopi. & Regul. sub die 24. Maii 1697. apud Monacell. part. 1. tit. 6. formul. 19. num. 27. & tradit Matthaeus. Official. Curiae cap. 17. num. 47.

Possunt tamen praemissa debita protestatione dictam certam pecuniae summam, seu quid fixum per modum purae, & simplicis eleemosynae annuatim recipere per Syndicum Apostolicum ad subveniendum suis vere necessitatibus, praesertim in iis locis, ubi victus, & vestitus mendicatione nisi valde incommode acquiri sufficienter possit, ut patet ex pluribus resolutionibus Sacrae Congr. Boni Regiminis relatis sub verb. Legatum num. 114. 115. & 116. Et sic saepe sapius, non solum ipsa Sacra Congr. Regiminis, sed etiam Sacra Congr. Episcopi. & Regular. Concil. & Rev. Fabricae declarant, ut patet ex earum Decretis abunde relatis sub d. verb. Legatum à num. 95. ad 121. Immo Disceletati in Hispania Paupertatis Seraphicae rigidissimi observatores fundationes Conventuum non accipiunt absque determinata eleemosyna olei, piscium, lignorum, & similibus, ut refert Pitonius part. 1. discept. n. 83. concludens id licite fieri posse.

Et haec procedunt etiam assignatio bonorum fieret in contractu inter vivos, uti habemus casum decisum per Sacram Congr. Fabricae in Imoleis. legati seu donationis sub die 16. Martii 1707. Vide d. verb. Legatum num. 109.

Formula autem protestationis praemittenda à Fratribus Minoribus ante acceptance legatorum traditur in sequentibus decretis editis à Sacra particulari Congregatione ab Urbano VIII. specialiter deputata Consultationibus Familiae Cismontanae Fratrum Minorum S.P.N. Francisci die 14. Junii 1628. & die sequenti publicata in Congregatione Generali Fratrum Minorum de Observantia in praesentia D. Cardinalis Gysii, quorum tenor talis est, videlicet.

Sacra Congregatio à S. D. N. Fratrum Minorum de Observantia S. Francisci Cismontanae Familiae consultationibus praeposita volens, quantum potest in Domino, ipsorum postulato satisfacere circa Novitios ad habitum, & professionem admittendos; Sanctitatis suae approbante, censuit tunc demum esse illis permitendum, ut Novitios, ut supra, recipiant, cum constituerit ex ipsorum Conventibus eos sustulisse abusus omnes, qui Regulae S. Francisci observantiae adversantur. Quod ubi praestiterint, designanda erunt loca pro iisdem Novitiis recipiendis, & praescribendus recipiendorum numerus, & qualitas, & alia ad eorum institutionem pertinentia, & prout unaquaque provincia id exequetur, eidem receptionem hujusmodi fore permittebam.

Abusus vero quibus eos propterea mereri oportebit sunt potissimum infrascripti.

Ac primum abdicent à se, & eorum Conventibus non solum pristina, ac bona omnia immobilia, quae alicubi contra Regulam puritatem, & Declarationes fel. rec. Nicolai III. & Clem. V. extra, vel intra septa Monasteriorum continentur; sed etiam census perpetuos, & legata annua, super quibus Sacra Congregatio praecipit observari decretum Congregationis Generalis Romae habitae die 17. Maii 1603. Cujus tenor talis est.

Cum annuus redditus sicut cetera bona immobilia nobis habere non liceat, ideo renovantes alia generalia statuta decernimus, quod frater non inducat personam aliquam ad eleemosynam perpetuam Ordini nostro exhibendam, nec exhibitam à quopiam vivente suscipiat; & si aliqua talis nobis fuerit relicta, nullo modo in iudicio exigatur, declarantes, quod ad perpetua legata petenda non possunt fratres recurrere, nisi humiliter, & per modum eleemosynae absque allegatione alicujus decreti. Decernitur praeterea, ac praecipitur per S. Obedientiam, quod quoties relinqui contingat aliqua legata perpetua aliquibus personis, & hospitalibus, vel